



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 60. de affectu amoris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

- Pfalm. 95. *neratione veritas eius: cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius: annuntiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius: quia secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tue Domine latifiscarunt animam meam, sed super haec omnia quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? quando reddes mihi latitiam salutaris tui, & implebis me cum gaudio vultu tuo, & ostendo mihi delectationes tuas in dexterâ tuâ usque in finem?*

JACVLATORIAE.

- Rom. 11. *O Altitudo diuitiarum sapientia & scientia Dei, quam verè incomprehensibilia sunt iudicia tua, & investigabiles viae tuae, quam magna multitudo dulcedinis tuae!*
- Pfalm. 30. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. O quam doleo quòd non omnia opera mea semper benedicant tibi*
- Dan. 3. *Cur ad modicum piget hic ò anima mea laborare & flere, & inuenire in te multam requiem?*
- Eccli. 51. *Da mihi, Domine, qui solus potes, de te gaudere, ut dicere possim: Memor fui Dei mei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & discessit spiritus meus.*
- Pfalm. 118. *Obsecro te per misericordiam tuam, particeps sum ego omnium iumentium te, & gaudii Sanctorum tuorum N.*
- Philip. 4. *Gaudebo in te Domine semper & sine intermissione, ut videant homines opera mea bona, & glorificent te.*
- Matth. 5. *Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem & gaudium Sanctorum in tribulationibus, quid ergo mihi nocere poterit si boni emulator fuero?*
- Cant. 8. *O Domine, da mihi gustare & videre quam suavis sis, & nihil velle prater te, aut extra te*
1. Pet. 3. *Nihil vereor horum, nec facio animam meam preciosiorem quam me, dum modo consummem cursum meum, & placeam tibi.*
- Pfal. 72. *Act. 20.*

CAPVT LX.

De affectu Amoris, & modo eum exercendi.

1. **E**X omni creaturâ hîc elici potest, ex omni beneficio, ex omni vitæ Christi mysterio; ad hunc autem conducet se in præsentiam Dei statuere quieto corpore,

corpore, ac animo, eum que intueri summum, & omne bonum.

Secundò, Illi gratulari, & optare hoc ipsum quod est.

Tertiò, Supra omnia æstimare, & quidquid creatum est despiciere.

Quartò, Gaudere de perfectionibus ejus.

Quintò, Optare ut omnes eas cognoscant, & ament, & dolere quòd neque tu, neque homines id ut meretur faciant.

Sextò, Resignare voluntatem suam perfectè.

Septimò, Statuere cuncta ejus mandata & consilia fervare.

Octavò, Id sperare ad unionem cum illo. Vide P. Pacz tertio Tomo Libro 4.

Exercitium Charitatis brevius.

O Charitas Deus meus, da mihi intellectum & discam mandata tua, sive per Epistolam, sive per creaturam loquaris ad cor meum. Quidquid enim ad salutem disco, tu presentissimus mihi me intimo amore doces, ô salus mea, & medicina anime mee. Et quanto quanto id amore doces me, qui nihilum sum apud te, tunc bonorum meorum eges, ut tam spontaneo amore tot me bonis & charitate tuâ prævénias? Sic enim Pater eterne dilexisti mundum ut filium tuum unigenitum dares. Sic tu benignissime IESV fili Dei, ut pro me in mortem dederis animam tuam, & gravia mihi esse queant mandata & consilia tua? diligam ergo hæc N. te Deus fortitudo mea, ô quàm tibi adherere mihi bonum est, quid ergo me separare poterit à charitate tuâ? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? fortis enim ut mors dilectio tua, & aqua multa spero non poterunt extinguere charitatem, id est, ignem quem venisti mittere in terram, & vis vehementer accendi.

Psal. 118.

Deus ex amore docet.

Ioan. 3.

Rom. 8.

Resignatio.

Cant. 8.

Exercitium quo excitatur affectus Amoris Dei.

SI vera sunt hæc, & tãta bona tua sunt, quæ mihi largiris, & tot mala, à quibus me præservas ne me sicut alios premant, uti manifestè video, & firmissimè credo, si tu mihi ubique præsens es, & undique me circumdas omne bonum, quid aliud præter te quero, aut spero, aut quo trahor Deus meus abs te, qui ignis es consumens, & Deus, qui exaudis per ignem. Quomodo, quomodo cor meum non est ardens in me, dum hæc video & te audio tot mihi loquentem vocibus, quot circumdor undique creaturis, totidem enim beneficis prævenis me, tot funiculis trahis ut fruatur te, immò centies millies quotidie à summo calo descendis in sacerdotum manus propter me, at que aded speculator adstas desuper, qui nos diebus omnibus actusq; nostros prospicis à luce primâ in vesperam. Et verò quid per hæc omnia requiris à me, nisi hoc unum ut diligam te? hoc unum à me postulas sive bona mihi tua tribuas, sive supplicis terreas. Vis enim ut fugiam mala, quia me amas, ut in te inveniam bona, immò possideam omne bonum. Si bona tribuis, invitas ut majoribus me bees, & te omnium authorem diligam toto corde, & animâ meâ.

Deus ignis.
Hebr. 12.

Amari cupit.

Psal. 38.

Psal. 103.
Contritio.

Amo igitur te Deus meus, id est bene tibi volo, & servare tua omnia, etiam minima mandata, ut placeam tibi, & complectat tibi in me. Itaque ego te, ego te præsentem arctissimè complector & sincerè amo, atque utinam ignis iste amoris, & dulcissima charitatis tua in omni meâ meditatione exardescat, imò in omni loco & momento ex nun usque in æternum, & jucundum tibi foret hoc eloquium meum, & letareris super me hereditate tuâ, postquam toties, quod vehementer ex amore tuo doleo, contristarim te amantissimum Patrem meum.

Sed cur amari à me vis: utique ut mihi benè sit, & amarum mihi esse potest. ô Deus meus amare te: non potest. Amo, amo, & cor à n calo & terrâ, & omni creaturâ amare te volo æternum & respuo omnem creaturæ amorem, nihilq; volo extrâ te, licet resistat caro, reclam: mundus, & diabolus retrahat. Et verò nihil

nihil ultra praestari à me vis praeter amorem? nihil. Sed unde id faciam, nisi per te? Obsecro te igitur humillimè, da mihi ut te amem. & nihil extra te, aut saltem, non nisi propter te. Sed, ô Majestas infinita, obsecro ne indigneris si coràm curiâ tuâ ego pulvis & cinis loquar ad te. Quis ego sum ut à me diligì velis, & vehementer optes? tu à me? nostine me, novine te? priusquam me formares in utero nosti me; sed ego, eheu! utinam & nihil praeter te, amantissime IESU! sed quid? Tu à me amari vis, qui sum peccator, & abyssus miseriarum? scio, vis, & vicissim amas, & mihi ades, & vides me, & in adiutorium meum intendis, & amari à me desideras, hæc altissima abyssus est bonitatis, misericordiae, & charitatis tuae: non potero ad eam, non potero ad eam.

Admiratio
quod Deus
velit diligere
Ierem. 1.

Psalm. 41.

Charitatis
latitudo,
&c.

Ioan 14.

utinam haberem latitudinem cordis, sicut arena maris, & nunc tandem aliquando amarem te latissimè, & in omni creaturâ te omnium Auctorem! utinam ab initio fuisset semper secundum cor tuum, & fecisset ex sincero amore omnes voluntates tuas! qui enim habet mandata tua, & servat ea, hic solus diligit te. Utinam in omnem æternitatem, ex hoc nunc saltem amare te possem, & amore sublimi transcenderem terrena omnia, & ascenderem ad te, & amplecterer te omne bonum, sed non nisi propter te. Utinam profundissimè in me descenderem, & ex amore tui sub omnibus me collocarem! recumberem tecum in novissimo, & invenirem te, & super me requiesceret spiritus tuus dulcis & omnia mea in te centro suo, extra quod illi omnia mala, & in quo ei omne bonum, quod certè non peto, nisi propter te, uti neque debeo, sed ut laudari à me, & in me possis, & recreari, & tu omne bonum benedicere mihi propter te.

Exodi 33.

Quis mihi det, ut cum Moysse voces me in caliginem, & tu solus mihi appareas, & ostendas mihi omne bonum! tum sileret terra omnis in conspectu tuo, nec esset quod me traheret, aut terreret. Sed quid dico? quid audeo? non sum ego Moyses, non sum; quid ergo sunt ut clamem & loquar ad te? ego vox anima clamantis in deserto, ego vox oviculae relictae, & errantis in vastâ solitudine invocantis amorem tuum. Non sum ego Moyses aut similis ei, qui hoc audeo debere, Non sum, sed verè novissimus sum

sum virorum, & omnium peripsema, sed quid? amare tamen te debeo, & cupio toto corde. Ignosce, queso, ignosce, & memineris Domine, quia pro infinita bonitate tua, mandasti mandatum hoc tuum custodiri nimis, ut diligam te Deum ex toto corde meo, ex tota mente mea, ex totis viribus meis. Scrutabor hanc legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo: dulciora siquidem eloquia haec tua super mel & favum ori meo. Momento uno, ama te, qui ab aeterno amasti me, diligere cupis: momento, inquam, vita huius, & si fecero, omnia & te mihi dabis: charitate enim perpetua dilexisti me, & ideo attraxisti miserans mei.

Amoris Dei
excessus.

O Amor quam gratuitus es erga me, quam liberalis, quam magnus es, & excessivus! quid hoc est, firine potest ut cogites de me? quid dico? etiam de sinu Patris descendisti, & 33. annis quaesivisti me, ut amarem te. Venditus es pro me in precium meum, Rex regum, & qui es gaudium Angelorum, tristatus es usque ad mortem propter me, & factus es opprobrium hominum, ut gauderem de te, & amarem te. Eras fons vitae, & aruit tanquam

Psal. 21.

testa virtus tua, & infirmus homo factus es ut fortis forem: & mortuus es, ut ego viverem, & quomodo non vivam tibi & infinita bonitas, potentia & sapientia? quomodo non amabo te, vel

Quid sit a-
mare Deum.

quomodo potius amabo te? Quid enim facio tibi dum te amo: volo te esse, qui es, & tibi esse omne bonum, non mihi; quia tu solus es. Tibi flecti omne genu, & per misericordiam tuam in te possidere omne bonum. Sed verè non opto nisi propter te, ut laudem te intimo corde meo. Itaque obsecro fac, ne me etiam diligat ullus homo, nisi propter te. Non mihi tribuat quidquam, nisi ut tibi Deus meus bene sit per me. si me pascat, unum de minimis tuis, te pascat in me, si potet, te potet in me, & soletur; ego enim verè minimus ille sum, de quo tu ter maxime Deus, dicere dignatus es: quod huic uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Tunc dicis, & censes fieri tibi, quod mihi? & ego quid faciam? non vivam nisi in te, nec fieri mihi quidquam volam, aut volo, nisi quod tibi utile, honorificum, & jucundum.

Matth 25.
Dan. 7.

Millia millium ministrent tibi, & decies millies centena millia assistant tibi: & ego inter ea adstabo minimus, ut appareat maxima charitas, & dignatio tua. Vidit Ioannes amicus tuus,

& dilectissimus Patronus meus fluvium aqua viva splendidum
 tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni: quis ille Apoc. 22.
 nisi amor tuus dulcissime IESV: sine ergo Domine mi, sine fluat
 in sitientem animam meam ut ferat tibi per menses singulos fru-
 ctum suum. & licet me gratiã tuã indignum, & egenum vi-
 deas, memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Apoc. 21.
 Illud verò est: ego sitienti dabo de fonte aqua vitæ gratis. Ecce
 Domine mi promisisti fallere neque vis, neque potes. Merita si
 fortè non habeo spero tamen; quia gratis promisisti, ut pauper &
 inops laudent nomen tuum, & ament infinitã bonitatem tuam.
 Sed quis erit diligendi modus? vereor enim ne plus, minùsve
 quàm oportet, inflammer desiderio, & amore Domini mei. Ex Bernard. de
 toto, inquis, corde, non est satis, ex totã animã tuã: ne hoc qui diligendo
 dem satis est, ex totã mente tuã. Quid vis ampliùs? vellem for- Deo.
 tasse, si viderem quid posset esse ampliùs: vellem utique ex intimo
 corde dicere posse cum Apostolo: Quis me separabit à charitate
 Christi? tribulatio, an angustia, an gladius? Certus sum, aiebat
 ille, quid verò dicam, ego nesciens amore an odio dignus sim? di-
 cam tamen gratiã fretus tuã: certus sum, quia neque mors, ne- Rom. 8.
 que vita, neque Angelus, neque principatus, neque virtutes, neque
 instantia, neque futura, neque fortitudo; neque altitudo, neque
 profundum, neque creatura alia separare me à charitate tuã
 poterit ò Deus, quæ est in Christo IESV Domino nostro: toto
 enim corde te diligo, & diligere volo.

Quid verò illud est, diligere te, clementissime Domine IESV;
 non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi injuriis,
 sed integrè sic te diligere toto corde, ut ad nullius rei dilectionem
 cor meum magis inclinetur, quàm ad te, nec delectetur in aliqua August.
 re magis, quàm in te: minùs enim te amat, qui tecum aliquid a-
 mat, quod non propter te amat. Totum namque exigit, qui totũ
 hominem fecisti. Hoc opto & perfectè te amare in æternum, qui 1. Ioan. 3.
 enim non diligit, manet in morte, & qui diligit vivit in te, ò vita
 mea, & vivet in æternum: aqua enim multa non poterunt ex-
 singuere charitatẽ, nec flumina obruent illã; imò fortis erit sicut
 mors dilectio, & dura sicut infernus, emulatio. Pro te igitur vi-
 vã & moriar, & mortificabor tota die: mihi enim adherere tibi Psalm. 72.
 Deo

Pfal. 72.

Pfal. 15.

Pfal. 38.

Pfal. 72.

Deo meo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam: tu enim Domine pars hereditatis meae, & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi: verè funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi. Etenim nunc qua est expectatio? nonne Dominus? & substantia mea apud te est. Quid ergo mihi est in calo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

JACVLATORIÆ.

Pfal. 72.

Ierem. 2.

Sap. 11.

Cant. 8.

Lucæ 1.

Pfal. 27.

Ierem. 2.

Prover. 8.

Pfal. 56. &

107. 118. 30.

Exodi 33.

Pfal. 5.

Quid mihi est in calo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

O quàm amarum est mihi reliquisse me te Deum meum & omnia bona.

Quis resistet tibi & charitati tue coram quo sic est orbis terrarum tamquam gutta roris antelucani?

Pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum.

Obsecro te per viscera misericordie tue in quibus visitasti nos: veniens ex alto, & visitas quotidie, respice in me.

Mihi autem adharere Deo meo bonum est & ponere in Domino spem meam.

Vnde hoc mihi ut recorderis? unde hoc mihi ut delicia tua sint esse mecum.

Paratum cor meum Deus sive ad prospera, sive ad aduersa: paratum cor meum tibi, tui ego sum, tu quaeso, Deus, esto mihi.

Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, & dirige in conspectu tuo viam meam. Amen.

CAPVT LXI.

De exercitiis præcipuarum virtutum.

CONTINET hoc caput exercitia brevia virtutum præcipuarum, & adspiraciones, ut si quando in meditatione harum motivum occurrat, his si libet affectus earum augere queas.

Exer.